

Serie Generale 198

(ST) Anno dominice nativitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, die mercurii quintodecimo die marcii, inditione nona.

Presentibus testibus inferius nominatis dominus Bonifacius marchio Montis Ferrati, confitens se bonam pacem et firmam habere cum domino Thoma de Sabaudia comite et suis hominibus, ad postulacionem suprascripti domini Thome comitis et in eius presentia dedit et fecit bonam pacem et firmam domino Iacobo de Troffarello et domino Cariono de Monte Calerio ambaxatoribus communis Montis Calerii ibi presentibus et recipientibus nomine et ad partem communis Montiscalerii ita quod homines Montiscalerii tam in avere quam in personis possint et debeant ire securiter et redire et stare per totam terram dicti marchionis et per eius poderium et districtum sicuti et ceteri homines dicti domini Thome comitis. Promitens preterea dictus marchio quod eos et eorum terram et finem non offendet nec offendendi permittet pro posse suo, imo eos salvabit et deffendet bona fide et sine fraude.

Quam pacem ratam et firmam habere et tenere promisit sub omnium bonorum suorum obligacione et dampnorum et expensarum et interesse restituzione. Et hanc cartam predictus dominus marchio ut supra fieri iussit.

Actum est hoc in castro Clevaxii in ecclesia ipsius castri.

Inde fuerunt testes: comes Ubertinus de Blandrato, dominus Bonifacius de Ploasco, Petrus Barlotus de Ast, dominus Nicholaus Becutus et plures alii

Et ego Iacobus Cornalla notarius interfui et hanc cartam traddavi et scripsi.